

D. D.

# OPIUM,

QUOD,

DISSERTATIONE MEDICA,  
Venia Experient. Fac. Medicæ  
In Reg. Acad. Upsaliensi,  
PRÆSIDE

179

BS

*Viro Generos. ac Nobilissimo,*

D: NO DOCT. CAROLO  
à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUS. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.  
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPS. LOND.  
ANGE. FEDR. BEROL. MONSP. TOLOS. BREM. EDINB. ROTTER. NIDES.  
CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET FACULT. EDINB. SOCIO.

*Publice ventilandum siflit*

GEORGIUS EBERHARDUS GEORGII,

Stockholmiensis,

REG. ACAD. SCIENT. STOCKH. ADSCRIPTUS.

In Audit. CAROL. Majori, Die XV. Nov.

MDCCLXXV.

*Heris ante meridiem solitus.*

---

UPSALIÆ,  
Typis EDMANNIANIS.

TILL

KONGL. HOF-APOTHEKAREN,  
HERR JOH. CHRISTIAN  
G E O R G I I.

På detta blad jag teckna ville,  
Hvad bjertat känner för en Far,  
Som för min välfärd omsorg bar;  
Men Känslan öfvergår mitt snille.  
Det lif Naturen mig bar gett,  
Af Er, Min Far! bar vårdat blifvit.  
Det framtidis bopp mig Himlen gifvit,  
Är lyckligt genom Er beredt.

Att värdfamt bärer mot förklara,  
Hur jag till takfambet är rörd,  
Jag framter bär en liten skörd,  
Som Er, Min Far, bör belagd vara.  
Det offret alt för ringa år,  
Mot all Er buldhet och Er mossa;  
Men våren ger sin spåda gröda,  
Tils bösten mogna frukter bär.

GEORG EBEBRARD GEORGII.

## DE OPIO.

---

### §. I.

**P**erbrevem de OPIO commentationem meditanti mihi, si, quæ de nobili hocce argomento inde a Dioscoridis ævo ad nostra usque tempora prodiere, singula Doctorum Scripta essent pervolvenda, idem eveniret, quod illi, qui vastum maris æquor fragili carina conaretur permetiri, vix portum & itineris finem inventurus. Etenim haud facile quinquam, aliquus saltem nominis, invenies Medicinæ Practicæ Auctorem, qui non id sibi datum putarit, ut de isto ageret medicamine. Igitur, ut temporis parcam, e re nata me facturum existimaverim, si summa tantum capita attingendo, juvenili juxta Specimini mitigationem Lectorum censuram stipulatus, qualitates & vires Opii velut in compendio exhibuero.

Vix ulla jam medicamina frequentiora sunt *Opio* & *Pulvere Peruviano*. Illud systema nervosum moderatur, seu medullare; hoc in systema agit fibrosum & fluidorum, seu corticale corporis.

*Opium* sacra jam diu Medicis anchora fuit, ut multi cum DE LE BOIS SYLVIUS dicant, se nolle medicinam exercere, si carceret *Opio*. Ut enim Cinnamomum mo-

A

tus

tus animales fortissime excitat, ita hos, ubi modum ex-  
cesserint, Opium justo moderamine temperat.

Hæc vero medicina Heroica caute omnino & præ-  
denter est tractanda: Medicamenta enim Heroica in  
manu imperiti sunt velut gladius in dextra hominis  
furiosi.

Ut autem ordine procedat hæc qualiscunque tra-  
ctatio, *Opium* primum *Botanice*, deinde *Pharmaceutice* &  
*Practice*, nobis fuerit considerandum.

### §. II.

#### BOTANICA.

*Opium* e *Papavere* arte producitur; estque succus hic  
*Papaveris* inspissatus, nigricans, consistens, tenax, latus,  
gummi-resinosus, amarus, acris, teter, igne ardens.

*Papaver* genus est plantarum, *Calycem* habens di-  
phyllum; *Petala* quatuor; *Stamina* plurima, receptaculo  
inserta; *Pistillum* germine supero, stigmate absque  
stylo, plano, stellato; *Capsum* evalvim, unilocu-  
larem; debilcentem sub stigmate foraminibus pluri-  
bus; *Semina* numerosa, rotunda, affixa receptaculis nu-  
merosis, lamellatis, longitudinaliter cavitati capulæ ad-  
hærentibus.

Plures hoc genus comprehendit species, quæ o-  
mnes succum continent lacteum, pleræque album, non-  
nullæ

nullæ flavum; ut adeo planta lactescens & inquinans ab omnibus jure habeatur.

Ex omnibus quidem speciebus Papaveris Opium quoddam parati posse arbitror, sed cum singulæ nondum sint exploratæ, in illa, quæ multis retro seculis frequenti fuit in usu, breviter describenda nostra jam versabitur opera.

*Opium* vulgatissimum e *Papavere somnifero*, ut nuper dictum, paratur, quod floribus diversi coloris, jam simplicibus, jam multiplicatis variat, petalisque integris aut laciniatis. Varietas autem præcipua est, quod vel nigra, vel alba habeat semina. Orientales populi, apud quos *Opium* est usitatisimum, ex seminibus plerumque albis *Opium* conficiunt, cum fructus in hac varietate major sit & ubetiorum *Opii* copiam præbeat. Interim *Opium* æque præstans ex *Papavere* seminibus nigris producitur.

*Papaver somniferum*, calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis, *Spec. Plant.* p. 726. nostro tempore adeo vulgare est, ut ad omnia fere tuguria plantari soleat. Non igitur operæ pretium fuerit describere plantam adeo in vulgus notam & a multis toties descriptam & delineatam, inque omnibus fere libris botanicis inter plantas communissimas relatam: Quæ quamvis patriæ non sit indigena, in nostro tamen solo instar indigenæ crescit: &, semel introducta, in hortis nostris sponte seritur & quotannis renascitur.

A 2

*Opium*

*Opium Thebaicum* veterum extractum plerique putant ex *Papavere orientali* capsulis glabris, caulis unifloris, scabris, foliosis, foliis pinnatis, ferratis. *Hort. Ups.* 136. cuius figuram etiam & descriptionem dedit TOURNEFORT: *Itiner. 3. pag. 127. cum figur. & Commell. rar.* pag. 34. Planta hæc perennis est & a TOURNEFORTIO non procul ab Ararath detesta. Rarior hæc apud nos est, & in hortis tantum Botanicis obvia, ubi radice sua perennat & hiemes nostras sub divo tolerat, atque diebus solstitii floret; quæ vero vix hoc nostro tempore ad *Opium* extrahendum adhibetur.

Ceterum operæ pretium esset in aliis etiam Papaveris speciebus *Opii* præparandi facere experimenta atque inquirere, an eundem præstent effectum. Præcipue *Papaver Cambricum* foret tentandum, cum succum habeat luteum, & magis differat, fortassis ut *Chelidonium*, *Argemone*, *Bocconia*, quæ proxima ad papaver adfinitate accedunt, respectu ordinis naturalis & genericæ, licet qualitatibus sapidis & odoris plurimum differant.

### §. III.

#### PRÆPARATIO.

Perſia & Imperii Turcici Provinciæ, inque his **Natolia**, Cilicia, Cappadocia, Ægyptus, nec non plures in Oriente regiones copiosissimum producunt *Opium*; unde per Europam & totum propemodum orbem distribuitur; siquidem Medicus nemo solide doctus illo carere queat

queat subsidio. Per totos agros ibi Papaver conseritur, atque ut capitula (Capsulae) eo majora evadant & succum præbeant uberiorem, refecant superflua capita, quo facta capsula, quæ apud nos vix prunis sunt majores, in pugni amplitudinem adolescunt. Ejusmodi capsules Papaveris portentosæ magnitudinis in tabernis Batavorum aromaticis suspensas quotidie videre licet.

Antequam capsule maturuerint, id est antequam siccæ & exsuccæ evaserint, inciduntur seu lacerantur ab uno latere cultro, in hunc usum formato, quo succus exstillet lacteus, qui fervore æstatis siccatur ad consistentiam picis liquidæ, & post unum vel alterum diem, scalpello abraditur. Deinde pari modo ab altera parte idem laceratur capitulum, ut plus succi inde pariter exstillet in lacrymas.

Culter huic destinatus usui quatuor aut quinque habet acies parallelas, quibus capitula Papaveris decussatim inciduntur.

*Opium* autem eadem methodo ex Papavere in Europa quoque & apud nos extrahi posse plurimi, inque his ALLEN & ceteri, sunt experti. Præcipue vero legi merentur experimenta DILLENI, Botanici doctissimi, in *Actis Naturæ Curiosorum* copiosius descripta, de *Opio* præparando, parem cum exoticō effēctū producente.

*Opium* modo jam dicto extractum & collectum, vaſi imponitur ligneo, dein irroratum aqua & ſpathula agitatum

agitatum lignea, ad consistentiam picis, formatur in madaliones, qui in planum expanduntur spirale, instar placentarum, foliisque Papaveris testi ad Pharmacopoeas exportantur exoticas, atque in ipso etiam solo natali in foro veno ponuntur; quemadmodum pluribus KÆMPFERUS in *Amœnitatibus Exoticis* docuit.

## §. IV.

## PROPRIETAS.

Ad proprietates *Opii* proprius cognoscendas, ipsa primum Officinalia pharmaceutica sunt consideranda. Prostant in Pharmacopoliis, *Papaveris Herba*, *Semina alba & nigra*, *Capitula*, *Oleum infusum* herbæ, *Oleum expressum* ex seminibus, *Syrupus vel Diacodium* (\*).

Dignum autem est, quod a nobis hoc loco memoretur, folia Papaveris fere in modum laetucæ cum oleo & aceto, sine effectu singulare narcotico, adhiberi posse; quin & semina ipsa in formam pultis cocta saepe infantibus propinare Germanos. Oleum expressum ex seminibus ad duas uncias sumi potest absque metu narcotico. Verum quidem est, folia ipsa succum contine-re laetuum, qui, quod ad effectum, ad Opium quodammodo accedit; sed cum dilutior sit, pauperes illo sine ulla

---

(\*) Diacodium hoc modo conficitur: Rec. Ex Capitulis Papaveris Uncias Septem; Aquæ fluviatilis bullientis Congium dimidium: maceratis per noctem, coque ad dimidium: colatura fortiter expressæ adde Sacchar. albiss. lib. duas. f. Syrupus. V. Pharm. Svec. p. 183.

ulla noxa in solo natali delectari solent; ceterum ex planta trita & expresa fit Meconium, teste SPIGELIO.

In Pharmacopoliis prostant etiam non solum *Opium crudum*, & *correctum*; cuius præparatio describitur in Pharmacopœa Svecica p. 112. quodque apud nos raro, dosi ordinaria, datur ultra granum unicum vel duo; sed etiam *Tinctura Opii* cum aceto, quod Opio facile additur; cum Opii *antidotum* est acetum, ut etiam Castoreum, Sal volatile urinolum, *Tinctura alcalisata*: Præter compositiones, quas opium ingreditur, ut *Theriaca Andromachi*, *Dioscordium*, *Orvietanum*, *Pbilonium*; *Elixir Antibystericum*, *Elix: Paregoricum*, *Elix: Peitorale*, *Pilulae de Styrace*, *Pulvis Alexiterius*, *Pulv. Sedativus*, alias ut taceam formulas bene multas, in quibus eminet *Laudanum liquidum SYDENHAMII*, cuius drachma quævis continet Opii grana decem, Croci grana quinque (\*). Dosis autem communitur est guttarum XII.

### §. V.

#### *QUALITATES.*

*Qualitates Opii* hæc sunt primariæ:

1. *Consistentia laetescens, Gummi-resinosa;*

2.

(\*) Formula hæc est: Rec. Opii Uncias duas; croci Unciam unam; Cinnamomi, Caryophyllorum a Drachmam unam; fiat Pulvis digerendus per aliquot dies in Libra Vini Hispanici una & filtrandus. v. Pharm: Stockh. p. 200.

2. *Sapor amarus, acris;*

3. *Odor teter*

Ex his sequentia eliciuntur judicia :

*Conſiſtentia Laetefſcens.* Omnes fere plantæ laetefſcen-  
tes ſunt inquinantes, ſeu adhærefſcunt & quaſi abſorben-  
tut a ſolidis, ut diſſicillime elui poſſint; unde vehe-  
mentius agunt & conſtantiores ſunt eſteſtu, quam aliæ  
omnes tintoriæ & infeſtoriæ: e. g. in ordinib⁹ natura-  
lib⁹ Laetefſcentes ſunt Contortæ XXX. Rhæades XXVII.  
Campanaceæ XXIX. Tricoccæ XXXVIII. Semifloſculosæ  
XLIX. ß. quaꝝ omnes venenatæ dicuntur; e quibus qui-  
dem semifloſculosæ miñimum haſtent veneni, ſed non  
omnes tamen ſunt iſontes, ut ex Laetuca viroſa patet:  
Opium itaque, ſpecies vera Rhæadum, in hiſ non iſi-  
mum locum obtinet.

*Gummi-resinosa:* Solvit pars Opii per ſpirituum vi-  
ni, ut resinofum; alia portio, & illa quidem major,  
per aquam, ut gummosum. Spirituofum in nervos ma-  
gis agit, & minus toleratur in adfectionibus nervorum:  
Febribus phlogiſticis, Phrenitide, Cephalalgia & Delirio.  
Aquoſum vero lenius eſt, ſudorem vehementius expel-  
lit & corpus reddit agilius. Vide JONES mysterium af o-  
pium, qui hæc omnia egregie explicat. Vinum vero  
tum resinofum, tum gummosum ſolvit.

*Sapor* admodum amarus eſt, acri admixto; hinc,  
ut amarus, inquinans eſt, & ut acris penetrans, diutius  
linguae adhæret & in ſolidas quoque partes agit.

*Odor.*

*Odor.* Omnia tetra sunt narcotica, nervorum actiones suffocantia & spirantibus analepticis seu incitantibus opposita. Hæc igitur omnia nervos ex parte sopiunt, unde actio animalis & omnes in corpore motus dependent. Vid. *Clavis Medicinæ* p. 22. Et ex odore tetrorum omnium facile judicari potest, quod sint narcotica & vitæ inimica, quæ si dosi sumuntur justo majori, pupillam dilatant & iridem quasi paralyticam reddunt: unde Medici, quando in Pharmacis dosi dubiis propinandis a parciore ad largiore dosin adscendere coguntur, semper subsistunt, nec ulterius progrediuntur, ubi pupillam dilatari vident & oculos quasi splendescere; quemadmodum de Opio, Mandragora, Belladonna, Spigelia &c. per observationes omnibus est notissimum. Nervi enim, qui ad oculum tendunt maxime sunt sensiles, in illis præcipue actionibus, quas intueri possumus. Medici igitur hæc observantes indicia, dosin minuunt, ne morbos efficiant paralyticos. Tetra quoque externe sunt repellentia: ubi enim natura animadvertisit hæc integrata, atque adeo nervis seu medullari substantiæ corporis inimica, se quasi retrahit minusque fortiter agit. Hinc adhibentur externe tantum adversus inflammationem aut pressionem, aut in loco quodam periculoso, nec extra summam necessitatem adplicanda. Addi potest illa etiam Opii qualitas, quam TOURNEFORTius non raro expertus est: nempe explorari possunt plantæ, utrum Acidum an Alcali contineant, per tincturam Violarum & Torna solis s. succum Heliotropii tricocci, Botanicis

B

Crotos

*Croton Tinctorium* adpellatum. His Opii tinctura rufescit, quo signo acidum contentum indicatur.

## §. VI.

## VIRES.

Vis *Opii* potissimum est *soporifera*, *anodyna*, *diaphoretica*, *antispasmodica*.

*Somnifera* vis Papaveris seu Opii ab omni antiquitate notissima, non operosam requirit demonstracionem, sed, cum Mandragora, princeps vocari meretur soporiferorum. Unicum fere hoc est pharmacum in materia medica, quod in Agrypnia & ad finibus commendamus; sed maxima tamen cum circumspectione adhibendum, ubi somnus quasi per vim est inducendus: quin & leviora per quietem somnia plerumque conciliat; ideoque in morbis soporosis caute est usurpandum.

*Anodyna*. Dolores enim lenit Opium ac demulcit; unde a Turcis quotidie magno cum successu sumitur, quando ira, moestitia, aut alio quovis pathemate incalcent: hinc etiam creditur Nepenthes Helenæ fuisse apud Homerum. Sed ideo tamen in morbis melancholicis non est porrigendum. Sumunt *Opium* Turcae prælium inituri, ut animum addat, aut metum pellat; haud aliter ac Europæi nostrates spiritum ex frumento distillatum, aut alias potiones inebriantes: Hinc est, quod pretium *Opii* apud nos mirum in modum crescat, quando bella gerunt

gerunt populi Orientales. Nos *Opium* adhibemus optimo cum effectu velut intercalare in febribus malignis, ut amphimerina &c. ubi ægrotus noctu exacerbante febri corripitur; & in variolis confluentibus, ubi febris nocturno tempore ingravescit, & exanthemata subsidere incipiunt, quando anceps est sine Opio auxilium.

*Diaphoretica.* Quamvis *Opium* evacuationes minus ordinarias sistere credatur, sciendum tamen est, illud transpirationem, sudorem & fluxum lactis ac sæpius menstruorum & lochiorum revera promovere, maxime si substantia *Opii* aquosa adsumitur. Perspectum hoc fuit aliquot ab hinc annis, cum Capitaneus M. T. malo sæpius cruciatus podagrico, aliquam hujus tinturæ portionem iterum hauriret iterumque; unde cito ortus est sudor vehemens, & postero die podagra remisit, quæ neque ascendendo corpus reliquum adfluxit. In lochiis retentis tintura *Opii* cum admixta parte tinturæ Croci inter præstantissima est remedia. Affluxum lactis *Opio* non impediri, sed intendi, omnibus jam est notissimum. *Opium* etiam agit ut aphrodisiacum; hoc enim sumto, intumescit papilla mammatum & erigitur; unde apud Turcas aphrodisiacum præstantissimum judicatur, ut ex Hodœpoticis constat. Sistit vero plerumque alias evacuationes, præsertim alvinas, & sanguineas, quales sunt Hæmorrhagia, Dysenteria, Vomitus, Diarrœa, Cholera. Tincturam *Opii* acaros dysenteriæ necare proxime ad Rhabarbarina, ROLANDI docent observationes, unde fre-

quens ejus est usus in Dysenteria, ad termina morbi ejus domanda. In *Cholera* horrenda, quæ brevi tempore vires vitæ exhaustit, Medicus deplorandus est, qui ad Opium non confugit, idque sufficiente dosi portigit, dum certius nullum huc usque inventum sit remedium. In Hæmorrhagiis ex affluente sanguine promptum fere semper præstat effectum. In *Tusfi* & destillationibus e capite una vel altera dosis sufficere solet.

*Antispasmodica.* In omnibus morbis convulsivis & spasticis Opium multum valet. In *Hysteria* nulla fere prescribitur formula, quam Opium non ingrediatur.

Ex altera autem parte Opium male adhibitum multa adfert incommoda. Majori justo quantitate propinatum Lethargum & morbos soporosos efficit. Non in morbis *Melancholicis* dandum est, ubi Maniam accelerare potest; non in Phthisi, nam inde excitatur Hydrops, quamvis a dosi Opii detumescant hydropici. Opium externe adplicatum debilitat corpus & tandem exulcerat. In Dysenteria maximi momenti est, sed nimius usus Opii efficit, ut ægrotus, debellato morbo, diutius tormina sentiat.

### §. VII.

#### USUS.

Plura de Opio differere superfluum duco, ne videar Iliada post Homerum scribere; cum, quæ de viribus Opii dici possunt, TRALLES, in aucteo libello a. 1757. edito *de usu Opii*, absolverit. Verbo

Verbo itaque quæ restant complectat:

Sangvinem accelerat volumenque ejus auget & ad caput determinat: Respirationem incitat, difficilioremque reddit.

Animum roborat, sensus obtundit, dolores, spasmos evacuatione que sistit, Ebrietatem movet, somnum cum insomniis invitat, languorem inducit, Diaphoresin movet, venerem stimulat, alvum obstruit, ventriculo nocet.

In determinatione Generum morborum, quibus valet, semper ratio habenda specierum ex causis:

*Contagia*: Febres malignæ, variolæ;

*Dolores*: Cephalalgia, Odontalgia, Cardialgia, Colica, Iliaca, Nephritis, Arthritis.

*Convulsiones*: Hysteria, Singultus, Tussis, Alterationes;

*Evacuationes*: Vomitus, Cholera, Diarrhoea, Dysenteria.

Dosis in adiuetis diuque usis multum augeri potest; sed nimia insuetis inducit Fatuitatem, Delirium, Convulsiones, Apoplexiam.

### §. VIII.

#### PRÆPARATA OPII.

Appendicis loco quasdam de præparatis Opii observationes addere luet. In his purificatio primum tenet locum, unde Opium colatum seu extractum Thebaicum;

B 5 in

in quo præparando non omnes eandem servant methodum. Codex Parisiensis p. 50. vino Gallico purificandum opium dicitat. D. BAUMER, in libro, quem inscribit, *Elementa de Pharmacie Theorique & Pratique*, aquam rectius adhiberi judicat: quem sequuntur Londinenses, Edimburgenses, Pharm: Danica & Svecica; Wurtembergenses succum Citri adiungunt.

Omnes exiguum humidi portionem in hoc processu commendant, ne diminuantur nimium ac separantur partes resinosa; quam rationem Pharmac. Lond. p. 24. diserte adducit. Resina forte per aquam præcipitatur, idque eo fortius, quo major adfuerit copia: sed hec inter partes resinolas & gummosas tam arcta est conjunctio, ut, quo demum cunque utaris menstruo, continuam mutuo servent consistentiam.

Si vero, quemadmodum istis placet Scriptoribus, aqua justo parcior adhibeatur, ita ut pondus Opii illius mensuram æquet vel paululum superet, solutio vix obtinetur, & colatio difficilior pressionem requirit, ubi simul fæces transmittuntur; contra, si aquam largius adsumseris, hoc vitatur incommodum. Cfr. Pharm. Dan: p. 176. Ipse quoque colatum succo Citri & Acido minerali exploravi: sed resinam inde coagulari non vidi, ut sit in Aloë & similibus, plus resinosa, quam gummosa materia comprehendentibus:  
quæ

quæ ratio contra Wurtembergenses militat. Deinde extracto, cui acidum erat admixtum, solutionem alcali ad saturationem usque instillavi; quo factio magnam resinæ separatae natus sum copiam, unde cohæsio harum partium intima patescit, & diminutio resinæ in majori aquæ portione, contra Londinenses, refellitur.

Pharm: Stockholmensis vetus menstruum præscribit spirituolum, ut partes forte Opii resinosa simul solvantur. Pars enim narcotica sulphure constare creditatur, unde Pharm: nuper dicta ustulationem præmittendam iuvadet. Nonnulli etiam ex hac hypothesi Opium ad carbones fere ustulabant, quod dicebatur *incineratum*. Hic vero procellus, ubi Opium in lamellas tenues disiectum & ferreo exsiccatum vasculo lentius ustulabatur, medicamenti hujus adcurati dubium semper reddebat effectum, ideoque non sine causa exolevit.

Ceterum ex Opio varia parantur medicamina in formam Pulveris, Elixirii, Tincturæ, Eleuthuarii & Pilularum, aliis plus minus calidis materiis admixtis. Sic, in Pharmacopœa nuper edita, Pulvis sedativus fit, adjecto tantum Nitro & Saccharo; Elixirio autem Paregorico & Pectorali, Pilulis e Styrace & Theriacæ calidiora quædam Opio sunt admixta, sed numero longe minori, quam in Pharmacopœis antiquioribus, ubi e. g. in Therriaca 6c. ad 70. species inveniuntur congestæ, quarum nonnullæ adeo sunt sibi repugnantes, ut effectum prorsus

prorsus impedian. Ceterum heic certum quæritur Anodynum, sed nihilo minus laxantia, adstringentia, imo stiptica commiscentur, ut cetera calidiora & minus apta reticeant. Hinc Pharmacopœa Edimburg: quæ anno 1761. prodiit, ingredientia Theriacæ ad numerum diminuit novenarium, ubi cuncta eidem scopo inserviunt. Pharmacopœa Stockholmiensis, hoc anno edita, hanc Theriacæ formulam adcuratius emendavit. Additur enim Syrupus Sambuci, qui consistentia sua agili Theriacam a fermentatione, exsiccatione, situ, acelcentia & putrefactione, servato simul pondere, conservat; quem quidem effectum Rob Sambuci, utpote fæcula non satis siccata, præstare nequit. In Diaſcordio etiam Pharmacopœæ recentiores numerum specierum ingredientium pasim minuunt. Nova Pharm: nostra ad tertiam usque partem illas laudabili compendio præcedit. Edimburgenses, Scordio tantum excluso, confectionem vocarunt Japonicam. In Pharmacopœa Danica portio Opii insigniter est diminuta, servato melle ad Eleſtuarium: ceteri recentiores, præter Parisienses, quibus Mel Rosarum placuit, Syrupum substituerunt, & quidem Londinenses Syrupum de Meconio, ut maxime consentaneum. Nostrates Syrupum Rosarum, perinde atque Edimburgenses, adoptarunt.

Qua in compositione loco Fabæ Pichurim, quæ exotica est, commendari forte potuiffet aroma quoddam indigenum, aut minori pretio parandum. In Elixirio

Anti-

Antihysterico eadem comparent species atque in compositione Dyriettiana; nisi quod loco Salis Cornu Cervi Spiritus sumitur, post digestionem addendus, & loco Eſſentiae Castorei, qua Elixirium adornat auctor, Castoreum dispensatur, cum ceteris speciebus digerendum; unde liquidum simul obtinetur Elixirium. Reliqua sunt Elixirium Pategoricum seu Londinense, Elixir. Peſtorale, Pilulæ e Styrace, Pulvis Alexiterius.

---

## CONSOBRINO SUO PERDILECTO.

**D**iversorum licet Studiorum amore teneamur uterque,  
Tu Artis Apollineæ, ego Almæ Themidos alumnus, ut sanguine tamen, ita qvoque animis et morum consuetudine cum simus conjunctissimi, meo in Te affectui temperare nequeo, quando Te video gressus ad Academicam Cathedram Tuaque super laude labores moliri, quo minus sincerissimum, quo perfundor, gaudium gratulabundus publice prodam, ac juxta significem, quam prope ad me pertineant, quæ Tibi cunque grata fortunataque evenerint. Hæc Tibi eo peſtoris candore voveo, quo amicu[m] amicus optimis quibusque prosequi solet omnibus. Et quandoquidem discessum nostris ab Camenis, quod doleo, propediem paras, i, Mi Frater, quo propitia Te ducunt fata, mei memor, i pede fausto.

C

PETR. EBERHARD GEORG.

*Min Bror!*

*Utaf de steg Du går,  
Som fägna alla Dina vänner,  
Jag ock et efterdöme får,  
Hvars intryck hela Själen känner;  
Men om mitt Snille ej kan binna  
At Din förtjänta heder vinna;  
Så vet, mitt hjerta följer Dig :  
Det kan ej tröttna på den vägen :  
Deß önskan är så sm och trågen  
För Dig, min EVERT, som för mig.*

*JOHAN GEORGII.*

*Göte-Göteneus Corvee.*

*M. 38.  
f. -*